

paruerit, testamentum ratum firmumque esse. Et Tom. iv. Basilicor. pag. 280. dicit Theophilus in lib. 4. Institutior. tit. i. illustres esse Protopatharios, & qui supra eos sunt. Cetera autem quæ citantur Theophili loca, ubi ὁ πατέρεσ τοις διδούσις dicuntur, neque ad synchronum Jultiniani Theophilum referenda sunt, neque ad alterum, qui sub Constantino Porphyrogenito vixit, de quo postea erit sermo; sed ad Theophilum tertium, qui post Alexium Comnenum claruit, spectant, quemadmodum infra ostendam, postquam libros Basilicorum recensuero.

Nonnulla ab auctoribus solent Theophilo Antecessori vitiis verti. Daniel Huetius lib. 2. de claris Interpretibus pag. 133. *Justiniani Institutiones* ( inquit ) Græce retulit Theophilus Antecessor, eleganti quidem & erudita, sed prolixissima Paraphrasi, in quo sapientissimi Imperatoris sapientissimæ sanctioni minime paruit, quæ ( Præfat. 2. & 3. in Pandectas ) Legum vetitis interpretationibus reliquis & interdictis, solam eam, quæ esset κατὰ πόδα probavit. Antonius Augustinus lib. 3. emendationum cap. 8. Antiquitatis Romanae peritiam majorem in eo desiderari probat. Viglius Zuichemus in Præfat. ad Carolum V. Imp. pag. 45. Nullus autem unquam tam bonus fuit interpres, ut non aliquo in loco a scopo ( quod dicitur ) aberraret: & habent etiam optima viva suas facies. Quapropter invenies fortassis quedam, qui diligenter volet singula excutere, quæ reprehendi possint, veluti quod Draconem Lacedæmonium legislatorem fuisse tradit; quod Macedonem non feneratorem, ut nos accepimus, sed filium familias: quod pro Tiberio Pium nominavit: ac ejus generis alia, non ita tamen ( ut exstimo ) multa. Ego vero non eam in me provinciam suscepi, ut universem Theophili Græcam Paraphrasim ad trutinam revocarem, aut illum ab omni doctorum virorum censura purgarem. Id tantummodo aquos lectores rogo, ut typis editos Institutionum Græcos libros cum manuscriptis omnibus conferre non graventur: quod ubi fecerint, eventurum fore exstimo, ut si non omnia, saltem pleraque, quæ Theophilo tribuuntur, sphalmata evanescant. Exemplo sit,